

XXVII. Ulterius inde deducti potest, quam verum sit, præcipuas in provisione Beneficii Patronati esse partes Patroni præsentantes: utpote, qui totius provisionis ponit fundamentum; ipsūque Ordinarium quoddammodo constringit, ut huic personæ præsentatæ collationem Beneficii faciat; tamen eam minus aut vix idoneam faciat: ut proinde jure merito Patroni solliciti sint, quas personas ad Beneficia præsentent: ipsiſque frequenter magis, quam ipsi Ordinariis imputabitur, si minus idonei ad similia Beneficia promoveantur.


CAPUT II.

De Possessione; & forma eam accipiendi.

1. Olim immisso in possessionem nota non fuit.
2. Postmodum exemplo feudorum invaluit.
3. Immissio in possessionem competit Beneficiorum Collatoribus; & quare?
4. Episcopo de jure communi ea competit.
5. Quomodo jus mittendi in possessionem ad Archidiaconos tranſerit.
6. Archidiaconi hodie eam Archipresbyteris committunt.
7. Prælati inferiores eam quoque dare consueverunt; idque etiam jure Archidiaconali.
8. Collatores Ordinarii immisionem in possessionem possunt aliis committere; & quibus hodie committere soleant.
9. Per quemlibet Clericum aut Notarium Apostolicum possessio dari potest juxta ordinariam clausulam litterarum collationis inseriam.
10. An Notarius Regius sufficiat?
11. Quæ formæ uti debeat Clericus mittens in possessionem?
12. De externis & corporalibus symbolis per quæ possessio realis traditur.
13. Quid si Ecclesiam ingredi impediatur ad capiendam possessionem?
14. Clericus inducens in possessionem non cognoscet de iustitia tituli.
15. Possessio accipi potest per procuratorem habentem speciale mandatum.
16. Exemplo Vasalli decretum jam pridem fuit, ut Beneficiati promittant Episcopis obedientiam.
17. Quod juramentum hodie præsent Provisi de Beneficiis Parochialibus.
18. Formula juramenti præstandi à provis de Beneficiis simplicibus.
19. Provisi de Dignitatibus & Canoniciatibus in Ecclesiis Cathedralibus professionem fides facere debent ex præscripto Synodi Trid.
20. An Decretum hoc etiam obstringat Canonicos Collegiarum Ecclesiarum.
21. Canonici solent ante admissionem ad possessionem jurare observantiam Statutorum.
22. In his statutis nonnumquam aliqua illicita occurrunt.
23. Merito à Canonicis ante juramentum Statuta expendantur.
24. Prælati curiam Capitulorum habentes ea merito examinant; & Decretum Synodi Antverpiensis id præcipiens.
25. Idipsum merito fieret circa juramenta opificiorum & Academicorum.
26. Nonnulli à Beneficiatis exegerunt Homagium simile illi quod Vasallus promittit Domino directo.
27. Hac Homagii exactio tamquam sapiens Simoniam vetita fuit.

28. Multum differt à promissione canonica obedientia.
29. In admissione ad possessionem solent certa jura exigi.
30. Quid de hac exactioe habeant Decretales Gregorii IX.

31. Quid Synodus Tridentina, & posteriores Synodi.
32. Merito ea Decreta expendantur, quæ jura illa exigunt.

I. gente pristina disciplina, quæ Beneficia ab Ordinatione non sejungebat; sed Clericis in ipsa Ordinatione, non secus atque hodie per Beneficiorum collationem & institutionem, certis Ecclesiis alligabat; iisque una jus vivendi ex proventus Ecclesiæ cui alligati erant tribuebat, incognita fuit, quæ hodie vocatur institutio authorizabilis, item quæ hanc subsequitur, missio in possessionem sive institutio corporalis.

II. At postquam erecta fuere Beneficia Ecclesiastica, eaque separatim ab ipsa Ordinatione conferri ceperunt, unâ invaluerit institutio & missio in possessionem; idque exemplo feudorum, à quibus (uti notavimus titulo 18. cap. 1. Beneficia suam originem habent.

Quapropter, sicuti post factam, feudi investituram quæ Beneficiorum institutioni authorizabili respondet nec non præstitutum fidelitatis juramentum, aliæque cæremonias prærequiritas, Dominus directus teneatur Vasallum verè & corporaliter investire, seu veram & realem investituram dare, ita quoque receptum, quod post datam institutionem collativam sequi debeat institutio corporalis sive missio in possessionem.

Unde Petrus Gudelinus in tractatu De Jure feudorum parte 2. c. 9. postquam dixit, investituræ factæ sive civili eam quidem vim esse, ut Vasallum ita investitum Dominum utilem faciat, tribuatque ei possessionis ingrediendæ facultatem; sed tamen eum possessorem non constituat, priusquam is corpore rem apprehenderit; neque investituræ feudali vim hanc tributam esse, subjungit: "in quo similis illa institutioni, seu investituræ, quæ fit de Beneficiis Ecclesiasticis: quippe per hanc Clericus quidem jus in Beneficio acquirit, sed nondum possessionem, donec in eam separato actu fuerit inductus. Cap per tuas: De Donationibus.

III. Sicuti autem ad Dominum spectat investire Vasallum seu in possessionem mittere; ita quoque ad Beneficiorum Collatorem spectat Beneficiatum in possessionem mittere. Qui enim Beneficii collator est, is ipsum Beneficium dare censetur: stationis autem complementum est traditio possessionis rei donatæ. Unde ait Rebuffus in Praxi Benef. parte 1. tit. De Missione in possessionem num. 12. "Ordinarius qui confert, Archiepiscopus, Episcopus, vel alius potest mittere in possessionem.

IV. Unde sicuti collatio Beneficiorum de jure communi spectat ad Episcopum, ita & missio in possessionem.

Hinc interrogatus Innocentius III. an Viri Religiosi vigore indulti Apostolici convertendi Ecclesias suas decedentibus personis in proprios usus, possint licite propria auctoritate possessionem earundem intrare, vel per Diocesanam Episcopum in ipsa potius sint inducendi: Respondit Pontifex, "suo Episcopo inconsultis, in possessionem earum eis non est licitum introire: quia per indulgentiam hujusmodi Episcopali juri non credimus derogari." Cap. 19. De Privilegiis.

V. Porro sicuti ipse Dominus feudi potest missionem in possessionem alteri delegare; ita quoque Collatores ordinarii inductionem Beneficiati in possessionem aliis committere possunt.

Et quidem eam ipsa inductio in possessionem seu institutio corporalis tantum sit quædam sequela quasi necessitatis ad ipsam collationem seu institutionem au-

thorizabilem, soliti jam pridem fuere Episcopi eam Archidiaconus, tamquam Vicarius suis delegare: eaque delegatio sensim in jus quoddam Archidiaconale transiit; ut propterea Innocentius III. in Cap. 7. De Officio Archidiaconi enumerans munia Archidiaconorum inter alia dicat, "quod institutio corporalis, tam super Beneficiis, quam Dignitatibus ad (Archidiaconum) debeat pertinere." Ex hoc Innocentii dicto concludunt uno consensu Canonistæ: de jure communi hodie institutionem competere Archidiacono.

VI. Postquam motibus tandem invaluit, Archidiaconis etiam institutionem authorizabilem seu tituli collativam competere, difficileque visum fuit, Archidiaconum accedere ad locum Beneficii, ut Beneficiatum in possessionem inducat; plerisque in locis ea Archipresbyteris ruralibus committitur, ut etiam notat Zyæus inulo De Institutionibus num. 4.

VII. Hoc insuper notat: "Collegia porro & Capitula passim collegas in possessionem mittunt, ac titulum admittunt à patronis fortè datum, quod est vice canonice institutionis: nisi sicuti fortè in erectionibus Collegiorum Archidiaconi curarunt sua jura institutionis præservari, ut Hoochstratz.

Notandum autem, quod Decani Collegiorum vel Capitulorum inducentes Collegas vel Beneficiatos suorum Ecclesiarum in possessionem dicant, se id facere jure suo Archidiaconali: quasi ea in parte jus Archidiaconale exercentes.

VIII. Cæterum sicut ordinarii Collatoribus liberum est, ut per se in possessionem mittere queant; ita & id alteri cuiquam delegare possunt.

Et quidem juxta stylum hodiernum "in collationibus Episcoporum vel aliorum solet mandari quibuslibet Ecclesiasticis personis, ac Tabellionibus vel Notariis, ut inducant in possessionem talem Provisum, uti notat Rebuffus loco citato n. 13. & patet ex formula collationis & provisionis Ordinariorum quam refert Rebuffus in Praxi Beneficiorum p. 20. edit. 1664.

IX. Unde ibidem monet Rebuffus: "Hodie per quemlibet Sacerdotem, vel Clericum, vel per Notarium Apostolicum, vel ab Episcopo creatum potest quis in possessionem mittere.

Interdum autem (ait Rebuffus num. 14.) Presbyter ponit in possessionem, & Notarius hoc attestatur; cujus attestationis formam ibi ad longum inserit Rebuffus. Observandum tamen præter Notarium debere adesse ut minus duos testes, qui unâ cum Notario de capta possessione testentur: super quibus Notarius instrumentum conficit.

X. Notarium debere esse Apostolicum ut mittat in possessionem, monet ibidem Rebuffus n. 20. "Quia Regius non est ad hoc Notarius (ait) sed tamquam privatus; & per Regem creatus est non ad hoc.

"Posset tamen Notarius Regius (ait n. 21.) si Presbyter induceret in possessionem Curatum, vel aliquem Provisum, attestari de hac missione in possessionem, & probaret hæc missio: quia de his quæ fiunt ante eum attestari potest.

Clericus verò mittere volens aliquem in possessionem, debet inspicere litteras collationis, suamque in iis expressam commissionem, eamque sequendo dicere: "Ergo auctoritate Reverendi D. Episcopi N. & in vim litterarum collationis ab eo factæ induco te in possessionem talis Beneficii N. (quod nominare debet) & universorum jurium & pertinentiarum dicti Beneficii." Ita Rebuffus num. 24.

XI. Ad hæc immissio in possessionem requirit, ut eam ipsa pronuntiatione formæ quadam externa symbola realiter adhibeantur, per quæ appareat, quod provisus possessionem accipiat; quæ symbola pro conditione Beneficiorum, & locorum consuetudine varia sunt.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

XII. In Beneficiis Curatis seu Parochialibus solet dari possessio per ingressum Ecclesiæ: "nam qui fundi possessionem adipisci vult, introire fundum debet, non quamlibet ejus partem circumire," ait Rebuffus n. 26.

Secundò, per asperisionem aquæ benedictæ. "Ad Presbyterum enim & ad Curatum spectat aquam benedicere, & benedictâ aspergere, ut populus eâ asperisione sanctificetur & mundaetur, & sic mundus ad alitatem veniat." Rebuffus ibidem n. 27.

Solet quoque addi osculum majoris altaris; quia in majori altari debet celebrare Curatus, & pacem facere cum Deo, & orare pro populo ut Deo uniatur.

Tactus insuper libri Missalis, vel Antiphonarii seu alterius libri Sacramentorum: qui in beneficiis simplicibus esse solet symbolum possessionis. Canonici autem induci consueverunt per assignationem loci in Capitulo, & Stalli in choro.

XIII. Hoc insuper notandum, quod si ingredi Ecclesiam nequeat, possit tunc etiam capi possessio per tactum pessuli vel ostii; imo aliquando accipitur possessio per aspectum pinnaculi Ecclesiæ, uti tradit Rebuffus loco citato num. 34. & latius in præfatione ad tractatum de materia possessoria tomo 3. ad Constit. Regias potestque sic adeptus possessionem agere possessorio.

Formulam adipiscendi hoc modo possessionem exhibet Claudius Horrii in tractatu de materiis Beneficialibus pag. 594. è qua videri poterit, quid hic observari debeat.

XIV. Clericus autem vel Notarius inducens in possessionem tantum est nudus minister; ideoque non recipit cognitionem de iustitia tituli vel collationis, nec differt mittere in possessionem: "sed postea Judex coram quo causa agetur cognoscet, & pars quæ est in possessionem missa impetrat litteras à Rege, vel à quibusdam Seneschallis, qui ad hoc potestatem habent: in quibus convenitur pars ad videndum provisum manu teneri in possessione & salina, in qua est. Et pars se ponet, & jus eidem dicetur coram Seneschallo, vel Baillivo: & baptizantur (ut Dicantici dicunt) contrariæ possessiones: & allegantur: postea producantur tituli, & sequestratur beneficium, vel credentia conceditur." Hæc Rebuffus n. 43. & 44. Latius verò de hac agendi forma infra parte 3. agemus.

XV. Denique possessio potest capi etiam per procuratorem speciale mandatum habentem. Idem speciale mandatum signanter requiritur, quia prævidetur fore juramentum: quod præstandum est in animam constituentis; quod sine speciali mandato fieri nequit.

XVI. Quemadmodum Vasallus ante investituram tenetur ipsi Domino directo juramentum fidelitatis præstare; ita jam pridem cautum fuit, ut Beneficiati, præsertim de beneficiis Curatis provis, obedientiam suo respectivo Episcopo promittere, vel jurare teneantur.

"Quando Presbyteri aut Diaconi per Parochias constituantur oportet eos professionem Episcopo suo facere." Lib. 7. Capit. cap. 466.

Hodie in ordinatione promittunt Presbyteri Episcopo suo obedientiam & reverentiam.

XVII. Provisi de Ecclesiis Parochialibus hodie juxta Decretum Synodi P. II. Mechliniensis ante admissionem ad possessionem hac formulâ jurare debent: "Ego N. juro & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem summo Pontifici Romano, ac R. Domino Episcopo N. eorumdemque successoribus. Item juro & promitto Ecclesiæ meæ Parochiali de N. fideliter deservire secundum oneris illi annexi exigentiam, & in eo personaliter residere. Bona Pastoralis vel Ecclesiæ meæ non alienabo; & indebitè alienata, quantum in me erit, fideliter recuperate studebo. Specificationem omnium fructuum Pastoralis mei, cum debita designatione hypothecarum, limitum & terminorum,

